

16





40  
160  
MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM;  
QUORUM UNUS  
FEBRI HÆMITRITÆA,

ALTERA  
DOLORE UTERI laborat:

2 V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE,  
SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ,  
Anatomes, ac Botanices Professoris Ordinarii,  
& Philosophi eximii,

*Publicæ disquisitioni exhibet*


HENRICUS DELMAN, Amstelod.-Batav.

*Ad diem 27. Novemb. horâ 9. matutinâ, loco solito.*



TRAJECTI AD RHENUM,  
TYPIS Theodori ab Ackersdijck, & Gisberti à Zjll,

c l o l o c l .



ALTE  
DOL  
V I R O

*Pietate & virtute insigni,*

**D.QUINTINO DELMAN**

Parenti meo, quoad vivam,


Filiali amore profequendo,

HENRICUS DELMAN, Amstelred. Bat.  
Abh. 17. Decemb. 1694. p. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

*Hoc exercitium Medicum in signum  
Filialis observantia,*

Submisse offero

**HENRICUS DELMAN.**



TRAJECTI AD RHENUM,  
Typis Thomeas Achardij, & Godefridi  
1694.



M E D I C A T I O V I R I  
H E M I T R I T Æ A F E B R I  
L A B O R A N T I S.

I.

**V**ir 40. annorum, robustus, mala diætâ diu usus, incidit matutino quodam tempore in horrorem totius corporis; quem insecutus est calor magnus, pulsus creber & celer, perpetuò durans. Sub vesperam ipsum eodem die invasit refrigeratio totius corporis, postquam sequebatur pulsus iusto celerior & crebrior. Sequenti die, calore illo perpetuo & pulsu celeri & crebro durante, leviter perfrigeratus est, calorque deinde increvit & pulsus increbuit. Tertio die rursus mane exhorruit & deinde incaluit, & vesperi, postquam refrigeratus esset, etiam increvit calor. Quarto verò die leviter denuo, sub vesperam refrigeratus, incaluit, & pulsus increbuit. Adest ventriculi dolor, sitis, & capitis gravitas.

II. *Afficitur* in hoc ægro totum corpus, ut ex horrore, refrigeratione, & incalescentiâ: cor, ut ex pulsu vitiato: œsophagus, ut ex siti: ventriculus, ut ex dolore: & caput, ut ex gravitate est manifestum.

III. *Morbus*, qui ipsum affligit, est *febris*, quæ ex tertianâ continuâ, & quotidianâ intermittente, composita, *Hemitritæa* vulgo appellatur. Idque ex symptomatum hic descriptorum ordine, & invadendi ratione & modo, clare innotescit.

IV: *Causa procatartica* hujus morbi est mala diætâ, qua noster æger diu est usus. Inde verò nata cacochymia pituitosa & biliosa, tum in vasis, tum extra vasa existens, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus una, mane alternis diebus horrorem, & perpetuum calorem, pulsumque crebrum ac celerem; altera verò quotidie sub vesperam primò corporis refrigerationem, & deinde corporis totius inalescentiam, & pulsus celeritatem & crebritatem, item sitim, ventriculi dolorem, & gravitatem capitis inducens, *continens* hujus morbi & symptomatum ejus est causa.



V. *Morbus* hic, quia totum corpus affligit, & ex cacochymia contraria, biliosa sc. & pituitosa, maligna & putrescente, originem ducit, satis est periculosus. *Curatio* itaque diligentissime est instituenda.

VI. Eaque consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis & continentis, ac intemperiei, per contraria ablatione.

VII. Primò itaque injiciatur clyster emolliens, quo intestinis evacuatis, sanguis, ex brachio dextro, tempore minoris afflictionis, educatur ad ℥vj. vel viij.

Et bibat de hoc julepio.

R̄. syr. acetosi simplicis ℥ij.  
capill. veneris ℥j.  
aq. borrag. carduibened. an ℥β.  
spirit. vitriol. q. s. pro grato acore.  
Misc F. Julep.

Purgetur etiam subinde, tempore minoris afflictionis, tali purgante medicamento:

R̄. electuarij diacatholici ℥β.  
diaprunis sol. ℥ij.  
cassia recent. extr. ℥ij.  
aq. card. bened. q. s. Misc F. Haustus.

Et utatur hoc apozemate:

R̄. rad. petrosel., polypod. querc. an. ℥j. cichor. ℥β.  
fol. agrimonie, acetose, cichorij, melisse. an m.j.  
flor. centaur. min., geniste an. p. j. tamarindor. ℥j.  
decoq. in aq. hord., ad ℥xvj., addendo sub finem decoctionis fol.  
sennæ ℥j. β., in Colatura dissolve syr. de cichor. cum rabarb.  
℥j. β., Misc pro apozemate, de quo quotidie sumat ℥iij.

VIII. *Victus* sit tenuis, temperatus. *Tempus* cibandi sit circa horas minoris afflictionis. *Potus* sit cerevisia tenuis bene defæcata, item julep. ex aq. endiviæ, cichor., ros., viol., borrag., bugloss., card. bened., cum syr. acetoso, oxyfaccaro, syr. de limon. de succo citri, ribium, & similibus. *Perturbationes* animi fugiendæ, & cum spe eventus expectandus.

MEDI-

MEDICATIO FÆMINÆ  
UTERI DOLORE  
LABORANTIS.

I.

**F**æmina 38. annorum, cum post solitam mensium expurgationem sese aëri frigido, vestibis non satis bene munita, exposuisset, incidit in tantum cruciatum tamque intolerabilem dolorem, à pectine imoque ventre ad diaphragma & inguina usque se diffundentem, ut eo pæne enecaretur, nec posset corpus in ullam partem movere. Ubi tamen corpus subinde movet, incidit in lipothymiam vel syncopen, à qua difficillime deinde potest revocari. Aliquando flatus ex collo uteri per sinum pudoris erumpit, qui dolorem magnopere levat.

II. *Afficitur* in hac fœmina *venter*, & in eo potissimum *uterus*; quod ex dolore, à pectine & inguinibus ad diaphragma usque se diffundente; ac ex flatibus, ex utero erumpentibus, doloremque levantibus, est manifestum.

III. *Morbus*, qui eam affligit, est intemperies frigida & flatulenta uteri; quæ dolorem ingentem, ab imo ventre ac pectine & inguinibus ad diaphragma usque extensum, excitans, *dolor uterinus* appellari à medicis consuevit.

IV. *Causa procatarctica* hujus morbi est aër frigidus, cui ægra nostra, vestibis non satis bene munita, post mensium expurgationem sese exposuit. Inde enim uterus, à mensibus recens expurgatis adhuc debilis & laxus, fuit refrigeratus; qua reliqua, tum sensibilis, tum insensibilis, evacuatio uterina fuit impedita, pravi- que humores in utero & circa illum fuerunt collecti & retenti, qui ibi in flatus, & vapores resoluti, & egredi nequeuntes, partesque uteri & vicinas distendentes, vehementiusque moventes, *continens* hujus morbi & symptomatum sunt causa.

F 3

Humores



V. Humores enim illi frigidi & vitiosi, in substantia & cavitate uteri, & circa illum, collecti, *intemperiem frigidam induxerunt*: illi verò in flatus & vapores resoluti, uterum partesque vicinas suo motu vehementi distenderunt, eoque vehemente distensionis motu *ingentem istum & intolerabilem excitarunt dolorem, à pe ctine ad diaphragma usque per totum ventrem*, propter motum vehementem per nervos & membranosas vicinorum viscerum partes communicatum, *se se diffundentem, & ipsam agram*, propter cordis constrictionem ex dolore ortam, *pene enecantem, & motum corporis, ex metu lipothymia ab eo orituræ, impediens.*

VI. *Ubi autem corpus movet, incidit in lipothymiam, ex qua difficulter revocari potest*; quia per motum corporis augetur motus vaporum circa uterum existentium, eoque augetur dolor, (quippe qui nihil aliud fit, quam nimis vehemens partium tactui intervenientium motus) atque ex dolore illo vehementer aucto determinantur ita in cerebro spiritus, talesque aperiuntur in eo pori, ut spiritus fluant copiosius in fibras cordis constrictorias, & ingressum justum sanguinis impediunt, atque ita vehementem & sublato difficilem inducant lipothymiam.

VII. Ubi verò vapores in capacitate uteri valde sunt aucti, tum erumpunt illi, propter suum motum & copiam, quibus os uteri aperiunt, foras ex utero per sinum pudoris; illis autem egressis, quia in utero cessat vel imminuitur motus uteri vehementior, *cessat etiam vel levatur dolor.*

VIII. *Morbis hic, ob doloris vehementiam, lipothymiam accersentem, est periculosus*, diligenti itaque *curatione* erit mox impugnandus.

IX. Eaque consistet in intemperiei, doloris, & lipothymia ablatione.

Mox itaque per anum injiciatur talis clyster:

*Rx. herb. mercurialis, artemisia, calamintha,*

*pulegij, an. m. j.*

*flor. camomeli, meliloti an. m. β.*

*sem. lini, fenigreci an. ℥β.*

*decoq.*



decoq. in aq. com. ad lib. j. in colatura dissolv.  
 electuarij hieræ simpl., benedict. laxativ. an.  $\mathfrak{z}\beta$ .  
 ol. cheirini  $\mathfrak{z}\mathfrak{ij}$ . electuar. de baccis lauri  $\mathfrak{z}\beta$ .

M. F. Clyster.

Post injectum clysterem utatur subinde haustu talis, decocti:

**Rz.** calamentæ, pulegij, artemisiæ an. m. j.

flor. camomillor. m.  $\beta$ .

sem. dauci, anisi. carui. fœniculi an.  $\mathfrak{z}\mathfrak{ij}$ .

nucis muscatæ  $\mathfrak{z}$ . i.

decoq. ex aq. commun. ad lib. j. colaturæ

adde oxymell. simpl.  $\mathfrak{z}\mathfrak{ij}$ . Misce F. Apozema.

Sæpe etiam potest uti diacalamintho, & diacymino.

Ventri dolenti talis applicetur facculus:

**Rz.** rutæ, calamentæ, pulegij, artemisiæ an. m. j.

flor. camomillor. meliloti an. m.  $\beta$ .

sem. cymini, anisi an.  $\mathfrak{z}\beta$ .

F. facculus ex linteo, cui hæc includantur: iste

vino calido immersus & deinde expressus applicetur  
 ventri inferiori.

Applicari etiam poterit ventri emplastrum de baccis lauri, super linteo vel corio extensum.

Perseverante dolore talis clyster uterinus in uterum injiciatur:

**Rz.** artemisiæ, calamintæ, betonicæ, an. m. j.

sem. nigellæ, cumini, dauci, anisi an.  $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$ .

spicæ nardi, scananthi, nucis muscatæ, cinnamomi an.  $\mathfrak{z}\beta$ .

**Coq.** ex suff. q. vini gallici ad lib. j. M. F. Clyster  
 per metrenchytam in uterum injiciendus.

Ad alvum movendam exhibeatnr manna cum jure vervecino  
 ad  $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$ .  $\beta$ . vel  $\mathfrak{z}\mathfrak{ij}$ .

Si doloris perseverantis necessitas desideret, sumat gr. iiij.  
 laudani opiat, cum theriacæ  $\mathfrak{z}\beta$ .

Ad lipothymiam sumat subinde aquam cinnamomi.

X. Aër

X. *Aër, in quo existit, sit calidus; cibus eupeptus; potus vinum tenue. Motus vitetur; omni ratione concilietur somnus. alvus respondeat arte vel naturâ. Vitet vehementes animi affectus.*

## C O R O L L A R I A.

I.

*In omni Febre quædam adest malignitas.*

II.

*Malignitas in Peste etsi ab hominibus exacte explicari nequeat, manifesta tamen actione se prodit, quod quam celerime hominem enecet; unde effici potest, quod volatilitas particularum ad ejus naturam pertineat: quia contrario modo in morbis diuturnis occulta qualitate affligentibus, ut Scorbuto & Lue venerea, particularum fixitatem, tardio remque motum imaginari cogimur.*

III.

*Calor in homine in vigiliis major est, quam in somno.*

IV,

*In vertigine non leditur imaginatio.*

V.

*In dolore non est depravata sensatio.*

VI.

*Calidum nativum potest augeri.*

VII.

*Motu remanente in Paralyticis, sensus læsio in partibus motus capacibus potest fieri.*

VIII.

*Podagricis raro repellentia conveniunt.*

IX.

*Pars materia morbifica potest materiam præbere sedimento, in Urinis Aegrorum conspicuo.*

F I N I S.


00 A 6396

ULB Halle 3  
002 928 167



*Sl*





li condito:  
alidis, nymphæ an. ʒβ.  
diatragacanthi frig. ʒij.  
F. conditum, de quo sumat subinde

scribatur emulsio amigdalata cum sem. pa-  
iati gr. iij. X.  
t venæsectionem adhibeatur oxyrhodinum  
ctum, cum pannis intinctis tepidè.  
la admoveantur vicissim panni linei in-  
cum aq. rosar. lactucæ & malvæ æquali-  
etur lingua mucagine sem. cydoniorum.



40  
160  
MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM;  
QUORUM UNUS  
FEBRI HÆMITRITÆA,

ALTERA  
DOLORE UTERI laborat:

Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE,  
SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ,  
Anatomes, ac Botanices Professoris Ordinarii,  
& Philosophi eximii,

*Publicæ disquisitioni exhibet*

HENRICUS DELMAN, Amstelod.-Batav.

*Ad diem 27. Novemb. horâ 9. matutinâ, loco solito.*



TRAJECTI AD RHENUM,  
TYPIS Theodori ab Ackerſdyck, & Giſberti à Zjſſ,

cl o l o c l.

